



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

234. An eligi possit in Prælatum qui frequenter solet inebriari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

officium. funitur ex *cit. c. nisi jam pridem*, & *c. ex parte. Suar. de Cler. agror. Abb. ad c. cum inter. de Elect. n. 2.* D. Thom. 2. 2. q. 185. a. 4. Verumque id est, etsi infirmitas tantum duratura pro toto, vel valde notabili tempore officii, vel praelatura. Pass. Peyr. Majol. *ll. cit.* Idem dic de valetudinariis, qui malo corporis habitu, & affectu frequenter agrotant, & lecto decumbunt. Paris. *loc. cit. q. 3. n. 29.* Menoch. *de arbit. l. 2. cas. 6. num. 3.* Porro tantam Pass. *loc. cit. num. 326.* in Superioribus regul. requirit sanitatem, quanta necessaria est, ut Praelati possint observantias & rigores vitae communis tolerare, & aliis in legum custodia praere. Unde ait statutum peculiariter in suo Ordine Praedicatorum, ut nemo possit eligi in Priorem, qui non possit sequi chorum, dormitorium, & refectorium.

5. Quinto carentia primariae alicujus partis corporis, vel tanta deformitas, ut sine notabili horrore & scandalo obire nequiret munia Ecclesiastica; sic enim immediate etiam ratione indecentiae font ad talia ineligibiles. Pass. *n. 327. & 328.*

*Quaestio 231. An si quis patiatur vitium corporis impediens celebrationem missae v.g. careret oculo canonico, duobus digitis cum medietate manus, vel pollice &c. promoveri possit ad beneficium simplex, non nisi subdiaconatum, vel etiam nullum ordinem majorem requirens?*

Respondeo negativè: qui enim inhabilis est ex vitio corporis ad recipiendos Ordines majores & presbyterium, etiam inhabilis est ad recipiendos minores, quin & ad primam tonsuram. Castrop. *cit. d. 4. p. 4. n. 3.* citans Ugol. *de irreg. c. 52. §. 1. n. 4. & c. 64. num. 4.* Tolet. *in sum. l. 1. c. 57. l. 2. regul. Garc. de benef. p. 7. c. 12. n. 78.* contra Valent. *tom. 4. d. 7. quest. 19. p. 3.* Responsio hæc fundatur potissimum in *c. non confidat. 50. dist. ubi corpore vitiati prohibentur divinis applicari ministeriis.* Sed per susceptionem primæ Tonsuræ, & cujuslibet Ordinis minoris applicatur quis divinis ministeriis. Castrop. *l. cit.* Dein primæ tonsuræ, & ordinibus minoribus disponitur quis ad ministerium altaris, seu sacerdotium, quod omnes Ordines tanquam sui complementum respiciunt: ergo inhabilis ad illud ministerium, inhabilis censeferi debet ad ordines minores, & consequenter ad quodlibet beneficium. Castrop.

*Quaestio 232. Vtrum ex defectu usus rationis sint ineligibiles ad Praelaturas infantes, amentes, & mente capti?*

Respondeo affirmativè: *c. constitutionem. de verb. signif. in 6. ibid. Gl. v. intellectus Azor. p. 2. c. 4. q. 14.* Navar. *in c. si quando, de rescrip. nu. 6. & 10.* Sigiñm à Bon. *de elect. dub. 86. n. 4.* Intelligendum hoc ipsum esse de eo, qui non in omni, sed in aliqua materia delirat; ad regendam enim Ecclesiam, quod est Praelati, necessaria est prudentia, & discretio, cujus talis capax non est. Pass. *c. 25. n. 4.* Item de amente habente lucida intervalla, cum Praelatus debeat omni tempore, & occasione esse expeditus, ut suos possit gubernare. Pass. *n. 5.* citans Rot. *decis. 190. n. 4. p. 2. recent.* Item de eo, qui semel fuit fatuus, intellige ex causâ habituali, & de se permanente. Pass. *n. 6.* is enim praesumitur semper talis, nisi probetur sanatus Gl. *in c. fin.*

*de succes. ab intest. v. competens Menoch. l. 6. praesump. 45. n. 59.* Quod si tamen talis sit perfectè sanatus, idque probetur, poterit absque ulla dispensatione eligi in Praelatum, si antecedenter fuit in isto Ordine, quem Praelatura talis requirit. Pass. *n. 7.* quia tales possunt in susceptis ordinibus ministrare sine dispensatione, & absque eo, quod in hoc à Superioribus possint impediri. Suarez *de Conf. d. 51. sect. 1. n. 4.* Bonac. *de irreg. d. 7. q. 2. p. 2. n. 20.* Secus est si antecedenter non fuerit ordinatus, sunt enim tales etiam perfectè sanati irregulares, ut sine dispensatione Papæ nequeant ordinari, ac consequenter seu indirectè, ut nequeant eligi electione supponente Ordinem. Pass. *loc. cit.* Aliud quoque est de iis, qui ex causâ transeunte, puta febris, vel irâ fuere amentes, hi enim irregulares non sunt, sed eligi possunt. Suarez *loc. cit. n. 5.* Bonac. *loc. cit. n. 2.* Menoch. *loc. cit. n. 62.*

*Quaestio 233. Vtrum ergo electio talium sit ipso jure irrita?*

Respondeo: electio perpetuo amentis, vel etiam pro tempore amentiae ipso jure naturæ est irrita, cum sit contractus quidam, in quo Electus se obligat Ecclesiae in iis, quæ spectant ad officium suum adimplendis; amentis autem consentire, & se obligare nequeat. Pass. *n. 10.* Electio verò amentis habentis longa & frequentia lucida intervalla facta tunc, cum ille non est amentis, vel etiam jam sanati (quod tamen intelligendum juxta factam paulò antè limitationem) non tantum omni jure sit irritanda, sed probabiliter etiam irrita ipso jure positivo, non quidem antiquo, sed novo, nimirum Concil. Trid. *sess. 22. c. 4.* dicentis: *ne alius impostum fiat provisio, nisi iis, qui amentem & ceteras habilitates (inter quas absque dubio est usus rationis expeditus) integrè habere dignoscantur, aliter irrita sit provisio.* Pass. *loc. cit.* ubi tamen fuse probat, quòd hoc decretum respiciat solum electionem & provisionem ad dignitates & beneficia in Cathedralibus & Collegiatis, non verò locum habeat in Regularibus, quod per Ecclesias regulares, quarum quoque ibi meminit Conc. non intelligantur Monasteria, conventus, & Ordines regulares, néve Ecclesiae Canonicorum regularium, sed Ecclesiae Cathedrales regulares, in quibus Episcopus simul sit Abbas, & Monachi sint Canonici, quarum plures fuerunt in Anglia, ut pluribus refert & probat.

*Quaestio 234. Vtrum eligi possit in Praelatum, qui frequenter solet inebriari?*

Respondeo negativè. Peyr. *in pral. q. 2. c. 5. §. 5. n. 58.* referens plures alios. Barb. *de off. Ep. alleg. 28. n. 11.* & *c. à crapula, de vit. & honest. cleri. n. 2.* talis enim habet se ut furiosus habeas lucida intervalla, pertinet autem ad Praelatum non raro & brevi tempore, sed semper, & in omni occasione regere Ecclesiam & subditos, iisque invigilare. Pass. *num. 11.*

\* \*

*Quaestio*